



**Conradi Oigenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

LXXIV. Clement XI. contra Imperatoris Preces reclamat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

170 *De primariis Precibus Imperialibus*  
jure definitum non esset, quod conni-  
ventia, seu tolerantia Papæ in hac re  
nihil opitulari potest Principibus laicis,  
neque inducere dispensationem, aut ra-  
tihabitionem ullam, uti supra notavimus  
numero xxv. Sane si hæc fieri posse di-  
cerentur, utique laicæ potestates facile  
sibi arrogarent jus in spiritualibus, &  
Beneficiis Ecclesiasticis, ac si Romani  
Pontifices negotiuri non essent privilegium:  
quæ res confunderet potestatem laicalem,  
& Ecclesiasticam, & immane scandalum  
in universalem Ecclesiam ingereret.

LXXIV. At cur tempus terimus in hac re, si  
**CLEMENS XI.** circumstantiæ præsentis casus rationes ab  
contra Imperatoris Preces adversæ partis scriptoribus adductas sub-  
ratoris Preces vertunt. Fama est per totam Europam  
diffusa, Sanctissimum universalis Eccle-  
siæ Pontificem **CLEMENTEM XI.** contra  
hasce Preces Augustissimi Imperatoris re-  
clamare, neque ullo modo pati, ut Or-  
dinariis dirigantur: palam declarasse,  
eas executionem sortiri minime posse abs-  
que indulto Pontificio, cum tamen Au-  
gustissimus Imperator, vel saltem ejus  
Ministri edixerint non indigere Cæsarem  
indulto Pontificio, sed inniti posse soli  
consuetudini, de cuius viribus jam dis-  
seruimus. Itaque cedit præsumptio veri-  
tati, cessat ratihabitio Pontificis; ejus

mens, & voluntas non solum non concurrit, sed est contraria. Quamobrem etiam juxta sensum Wagnareckii, ejusque sequacium, Augustissimus Imperator in hoc statu nullum prorsus reperire poterit cordatum & catholicum virum, qui ejus primarias Preces probare possit: & Ordinarii sunt constituti in positiva mala fide, & sine laesione libertatis Ecclesiasticæ, & incursu pœnarum in septima Synodo inflictarum, nequaquam hasce Preces exequi valent. Precistæ verò, quibus vi Precum Beneficia conferri contigerit, erunt intrusi manu laicali; fructus suos facere; electionibus Canonicis, & Capitulis rite intervenire, & spiritualia administrare non poterunt: quin neque communicare cum aliis, juxta Canone in septimæ Synodi saepius relatum. Quare quot pericula animarum, quot scandala, & quænam injuria Ecclesiasticis titulis ex prædictis Precibus timeri jure optimo valeant, facile est ex his intelligere.

Quod Sanctissimus Pontifex CLEMENS XI. hæc, & majora considerans, hasce Preces sine indulto Apostolico è Vaticano irritas pronunciaverit, patet ex ejusdem literis nuper mihi Roma transmissis, & datis ad inclytum Capitulum Hildesheimense, in hunc modum : LXXV.  
Literæ CLEMENTIS XI.  
Capitulo Hildesheimensi  
contra Preces Imperatoris.